



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

Ab. 52. i



19

I. N. J.  
DISPUTATIO XIX.

# SELECTARUM THESIUM JURIS CERTI & CON- TROVERSI

Ex Tit. J. d. Oblig. qv. ex del. nasc. & seq.  
usqve ad Tit. d. Oblig. qv. ex quas. del. nasc. inclu-  
sive ijsqve Titulis. π. C. Just. Theod.  
βασικ. & ἔξ. respondentibus.

*Quam*  
PRÆSIDE  
**JOHANNE CHRISTO-**  
PHORO ~~SS~~OLB /  
J. U. D. & P. P. Secund.  
**REINHOLD MINUT,**

Regiom. Prusf.  
RESPONDENS  
publicè defendet  
**IN AUDITORIO MAJORI**  
A. cl. Ic. LXXXI.

---

REGIOMONTI,  
PRÆLO REUSNERIANO.



INCLYTÆ REIPUBLICÆ CNIPHOVIANÆ  
**PATRIBUS CONSCRIPTIS.**

VIRIS  
NOBILISSIMIS, AMPLISSLIMIS,  
CONSULTISSIMIS

Summaqve beneficiorum Laude  
INCLYTIS  
DN. DN.

**CONSULI,**  
**PRO-CONSULI,**

Cœterisqve  
**CONSULARIBUS,**  
GRAVISSIMIS, GRATIOSISSIMIS,

ut &  
**CLARISSIMO atq; DIGNISSIMO**  
Eorundem

**DOMINO SECRETARIO,**

**DOMINIS SUIS PATRONIS SUMMIS**

**FAUTORIBUS eternū devenerandis**

Hoc quale quale Exercitium ACADEMICUM  
ceu ingenui atqve grati animi SIGNUM  
non immemor beneficiorum offerre  
uti voluit

ita  
debuit

**REINHOLDUS MINUT, R. P.**

## I.



Itulis j. d. Oblig. quæ ex del. nasc. d. Vi Bon.  
Rapt. usq; ad Tit. 5. L. 4. respondent in π. L.  
47. T. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 13. 14. 16. L. 4. T. 9. L. 9.  
T. 2. 3. & L. 11. T. 6. in C. Justin. L. 9. T. 35.  
36. L. 3. Tit. 35. C. Th. L. 9. T. 34. in Libb.  
Βασιλ. Lib. 60. Tit. 1. 2. usq; ad T. 16. T. 28.  
T. 25. T. 27. in Σ. Lib. 5. T. 18.

## II. Proponuntur in his Titulis (I.) Delicta in genere Rubr.

j. d. Oblig. quæ ex del. nasc. t. t. π. d. priv. delict. t. t. Βασιλ. cod.  
(2.) in Specie delicta privata Furtum §. 1. j. d. Oblig: quæ ex del. nasc. t. t.  
π. Βασιλ. & Σ. d. Furt. t. t. π. d. Tign. junct. Furt. advers. Naut.  
Si Famil. furt. fec. Expilat. Hered. t. t. π. & Βασιλ. d. Abig. t. t.  
Βασιλ. Si quis in Testamento liber esse jubeatur & post mortem Do-  
mini aut aditionem hereditatis subripuisse aut corrupisse quid dica-  
tur t. t. Βασιλ. Si famil. furt. feciss. dic. t. t. π. & Βασιλ. d. Arbor.  
palam vel furtim cæsis. Rapina t. t. j. d. Vi Bon. rapt. Damnum  
inuria datum t. t. j. π. C. J. & Βασιλ. d. L. Aquil. & Injuria t. t. j. π.  
C. J. Th. & Βασιλ. d. Injur. & famos. lib. t. t. Βασιλ. d. pecuniariis  
pœnis & calumniis. (3.) quasi Delicta t. t. j. d. Oblig. quæ ex quas.  
del. nasc. t. t. π. & Βασιλ. Simens. fals. mod. dix. t. t. π. C. Th. &  
Βασιλ. d. Recept. t. t. π. & Βασιλ. d. his quæ dej. vel effud. t. t.  
π. & Βασιλ. Naut. Caup. Stabul.

III. Titulus π. & Βασιλ. d. privatis delictis ad differentiam  
publicorum inscribitur, in angustiore acceptione, latius enim sumpta  
hæc vox ut in l. 1. & 2. D. d. Legib. l. 1. & 5. §. ult. D. d. pœn. includit  
crimen, estque loco generis, in angustâ vero acceptione non genus  
sed speciem denotat opponiturq; criminis l. 2. §. septimus C. d. V. J. E.  
l. quis sit fugitivus 17. §. noxas D. d. Edil. Edil. Ac est peccatum,  
de quô civili potissimum actione agunt ii, ad quos ea res pertinet.  
Peccatum est summum genus l. obligamur 52. §. ex peccato D. d.  
Oblig. & Act. quod in crimen, delictum & quasi delictum distinguitur.  
Quasi delicta producunt tantum civiles Actiones l. 5. π. d. O. & A.  
De delictis potissimum quidem civili judicio agitur: si cui tamen

itā libeat etiam criminaliter extraordinem experiri poterit l. ult. D. d.  
priv. del. l. ult. D. d. Furt. l. ult. D. d. Injur. Anth. Matth. ad Lib. 47.  
π. c. 1. Committitur delictum vel in rem vel in personam. Quod  
in rem vel aufert eam sive clam sive palam, vel diminuit. Hinc  
oriuntur Furtum, rapina, damnum injuriā datum & injuria. Subbole  
Diss. 16. θ. 12.

IV. Κλοπὴ γένεσις ἀπατηλὴ τῆς περάγματος φυλάφησις ὅπερι γένεσις  
κερδῶνται αὐτὸν, οὐ την χρήσιν οὐ την νομὴν αὐτούς, ταεξ αμάρτημα καὶ τῷ  
Φισικῷ νομῷ κειώλαται, Nam furtum est Contrectatio rei fraudu-  
losa lucrificiendae rei gratia vel usus vel possessionis ejus, quod de-  
bitum etiam Jure Naturali prohibetur Basile. Lib. 60. Tit. 12. Fur-  
tum dicitur contrectatio quia sola furti faciendi cogitatio non facit  
furem l. i. §. 1. π. d. Furt. l. fugitus 225. π. d. V. S. in tantum, ut  
quamvis furti faciendi causa conclave quis intraverit, nondum ta-  
men fur sit l. 21. §. 7. π. defurt. Diss. Jus Canonicum a. tres personas  
23. q. 4. Contrectare est loco movere l. 3. §. 18. π. d. Acquir. poss.  
ideo rei immobilis furtum fieri nequit b. 25. π. d. Furt. quæ senten-  
tia proprius accedit ad antiquius Græcorum Vocabulum Φόρησθαι  
τὸ φέρειν deductum l. i. pr. π. d. Furt. Gell. 1. N. A. c. 18. hanc græ-  
cam deductionem malè tribuit Wesenb Sabino in Parat. n. 2. Quem  
errorem lynceus alias Bachovius in notis non notavit. Sabinus enim  
aliam suppeditavit à fraude quæ ad formam pertinet. Cujac. in Pa-  
pin. l. 26. qq. ad l. i. d. distr. pign. ait furtum esse Contrectationem  
rei i. e. proprietatis vel usus, vel fructus, vel hypothecæ alienæ, vel  
pignoris. Alibi simpliciter: interversionem possessionis. In Juliano  
ad l. 56. §. 3. π. d. Furt. Joh. Ott. Tabor Racemat. Crim. 2. ad Tit.  
D. & C. d. Furt. rectius definiri putat per Delictum privatum quō  
res aliena invito Domino, lucri faciendi causa, fraudulenter contre-  
ctatur, vel usus cuiusque rei, possessioνe intervertitur. Ita verò du-  
pliciter furtum considerari poterit, vel ut factum, vel ut delictum:  
Ut factum definitur per contrectationem: Sic etiam in stuprō pudi-  
citiam contrectari, aut rem alienam per violentiam experientia do-  
cet: si vero ut delictum consideretur partem formæ contrectatio  
continet, contrectatio enim fraudulosa ad formam & differentiam  
spectat. Nam si trax absit, furtum non committitur, ut si quis  
sine voluntate meâ equis meis equas suas subjecerit, placet eum furti

Actione



Actione non teneri l. Si quis uxori 52. §. Si quis asinum D. d. Furt. quia animum furandi non habuit, sed Actione in factum conveniri potest, quia non ex voluntate meâ equas submisit, in qua Actione veniet id, quod interest, si forte ex eâ re læsi fuerint equi non admissarii vel submissi admissarii nulla oblatâ mercede, cum plerique non nisi certa mercede equos admissarios cum equabus alienis coire finant. Non obstat l. fullo 82. §. qui ancillam π. d. Furt. ubi non lucri faciendi gratiâ, sed explendae libidinis causa aliena ancilla subducta est & tamen furtum arguitur: nam proponit Ictus ancillam subreptam meretricem non fuisse. Idcirco qui eam abduxit usum ejus intervertit, si enim ancilla meretrix libidinis causa subrepta fuerit, furtum non æque committitur l. verum 39. d. t. illo vero casu non minus furtum committitur, quam si res subripiatur lucri faciendo gratiâ conitat ex §. furtum autem 6. j. d. Oblig. qu. ex del. nasc. in quô §. Cujacius docet non esse legendum: in aciem equum perduxisset sed in Ariciam acceptum equum longius perduxisset ex Valer. Max. l. 8. c. 2. in fin. Quidam inquit furti damnatus est, quod equo, cuius usus illi usq; Ariciam commodatus fuerat, ulteriore ejus municipii clivô vectus esset. Aricia fuit primum oppidum à Romæ excessu. Horat. in Satyr.

Egressum magnâ me exceptit Aricia Româ,  
Hospitiò modico.

Invito Domino furandig; affectu rem contrectatam esse oportet, ut furtum dicatur admissum l. i. §. nlt. π. d. Furt. Nam si quis volente Domino contrectet, tametsi dolo furtum non fiat §. 7. Et seq j. d. Oblig. q. ex del. Quando fur in ipso furtô, vel antequam ad locum destinatum cum re furtivâ pervenerit, ab ipso Domino vel alio deprehenditur furtum est manifestum §. 3. j. d. t. l. 3. 4. s. π. d. Furt. Idque vel manus injectione vel solo visu modo acclamatur arg. l. 7. π. d. Furt. Quando vero fur non ita deprehenditur, vel quod dunc fieret inventum non fuit, factum tamen fuisse probatur, furtum nec manifestum dicitur §. 3 j. d. t. l. 8. π. d. Furt. A Subiecto perpetrante furtum aliud dicitur domesticum aliud extraneorum l. u. §. i. d. pæn. ab objecto aliud rei communis aliud singularis t. t. π. d. Tign. junct. t. t. π. Et βασιλ. d. arb pal. vel furt. cæs. à subj. Speciali Servi testamento manumissi t. t. π. Et βασιλ. Si qu. Test. lib. eff. j. aut integræ familiae furtum facientis t. t. π. Et βασιλ. Si Fam. Furt. fec.

A 3

dic.



die. ab adjuncto t. t. π. Furt. adv. Naut. l. 18. C. d. Furt. l. 14. §. 2. d.  
Furt. l. 4. §. 1. Ad L. Aqu. Carpzov. p. 2. quest. Crimin. 78. n. 13.

V. *Furta per se & semper turpia & Jure Naturali prohibita* sunt l. *probrum* 42. d. V. S. *Jus enim naturale non de iis tantum agit, quæ contra voluntatem humanam existunt, sed de multis etiam quæ voluntatis humanæ actum consequuntur* H. Grot. d. I. B. & R. L. 1. c. 1. n. 10. *Diss. Salmasius lib. d. Usur. c. 9.* *Natura ipsa hoc omnium mentibus ingeneravit, nefas esse alteri detrahere sui commodi causa* Vinn. ad §. 1. j. d. Obl. qv. ex del. *Necessarium itaq; est, ut furtum Domino rei fiat principaliter* l. 14. §. ult. d. t. *consequenter etiam his quorum interest, rem non surripi* l. 12. §. 2. l. 19. §. ult. l. 85. d. t. *Nec interest utrum sciverit fur, eujus res sit vel non* l. 43. §. 4. d. t. *nihil enim ad furtum minuendum facit, quod fur eujus res sit ignoret* l. 43. §. 4. b. t. *Scire enim quilibet debet, quod suum non est, hoc ad alium modis omnibus pertinere* l. ult. C. *Unde Vi.* *Animus quoq; dolosus atq; intentio contrectantis fraudulenta* l. 37. d. Usucap. *lucrivè faciendi causā* §. 1. j. d. t. *requiritur.* *Qui enim alio fine rem contrectat veluti damni dandi vel injuriæ inferendæ, animi aut libidinis explendæ gratia furtum non committit* l. Si quis 52. §. *Si quis asinum 20. d. t. multo minus furtum committit, qui judiciis continuè vel momentaneè cessantibus denegatam mercedem vel aliam rem debitam ipse à Debitore suo reposcitur.* Sic ipso *Jure Naturæ* ait H. Grot. d. I. B. & P. L. 2. c. 7. §. 2. *Annot.* 1. defendere *Hebræos Irenæum* quod in compensationem operæ res *Ægyptiorum* ceperint. *Ægyptii enim inquit populi erant Debitores, non solum rerum sed & vitæ suæ.* Tertullianus idem tractans secundo adversus Marcionem: *Reposcunt Ægyptii de Ebreis visa aurea & argentea, contra Hebræos mutuas petitiones instituerunt,* allegantes sibi mercedes restitui oportere illius operariae Servitutis. & ostendit minus multo exactum quam debebatur. *Nec furti reatum incurrit, qui extremâ urgente necessitate esculenta & poculenta aufert* Wissenbach Disp. 29. π. θ. 11. rationem petit ex J. N. quod rerum divisione antiquius est, & superius, quodq; jure humano, quo dominiorum distinctio est introducta, non potuit abrogari §. pen. j. d. J. N. G. & C. Spectandum ait esse, quæ mens eorum fuerit, qui primi dominia singularia introduxerunt: quæ credenda est talis fuisse, ut quam minimum ab æquitate naturali recesserit.

Hinc



Hinc gravissimā necessitate imminentē reviviscit jus istud pristinum  
rebus utendi, tanquam si communes mansissent. Nobis tamen hæc  
ratio displicet, quia infirmo nititur fundamento, quasi J. N. fuerit  
communio, quæ excludit dominium, quod tamen homini Ratio ab  
initio assignavit, quod alteri alter eripere haud potuit, excepto ma-  
gno humanæ imbecillitatis praesidio videlicet necessitate quæ semper  
excipitur l. 2. §. in eadem π. d. L. Rhod. d. jact. l. si quis fumo 42 §.  
l. 29. §. item Labeo 3. D. Ad L. Aqu. l. 3. §. pen. D. d. Incend. r-  
in. naufrag. firmior autem ratio peti potest ex ipsis Definitionis Fur-  
ti verbis, quæ ad factum ex necessitate patratum applicari neque-  
unt. Effectus hujus delicti sunt diversi, tum ratione furis ipsius,  
tum ratione Domini, cui furtum fit, tum ratione Emptoris, qui rem  
furtivam comparaverit, ac deniq; respectu occultatoris. Et in per-  
sonā quidem furis ante judicium is prehendi potest §. 3. j. d. t. &  
noctuprehensus impunē occidi potest Exod. XXII. Ita Solon: Si  
quis de die supra quinquaginta Drachmas furatus fuerit, ad unde-  
cimviro abduci eum licere. Si vero noctu quodcumq; furatus fu-  
erit, hunc licere occidere, & inter persequendum vulnerare, & ad  
undecimviro abducere, si quis velit. Demosth. Orat. contr. Ti-  
mocr. Interdiu enim licet vocare qui auxilium ferant, noctu non  
item. Sic Plato d. L. L. l. 9. Qui noctu furem domum suam in-  
gressum interemerit, mundus esto. Eadem Lex in XII. Tabb. trans-  
lata: SEI. NOX. FURTUM. FACTUM. ESIT. SEI. IM. OC-  
CISIT. JOURE. CAISUS. ESTO. Cicero pro Milon. Duode-  
cim Tabulae nocturnum furem quoquo modo. diurnum autem, si se  
telo defenderit, interfici impunè voluerunt, & Catus in l. 4. §. 1. D.  
Ad L. Aqu. & l. si pignore 54. §. furem D. d. Furt. Postea à Le-  
ge Decemvirali discessum est, nam si qui super manifesto furto jure  
& ordine experiri vellet huic Actio à Prætore in quadruplum daba-  
tur. Occidere quoq; non aliter licet furem, nisi se telo defenderit  
l. furem 9. D. Ad L. Corn. d. Sic. In personā Domini effectus do-  
minium perimens nullus accidit, sed potius confirmans & conser-  
vans, cum furto subtracta res nunquam usucapiatur, adeòq; à quo-  
cunq; possessore Dominus eam vindicare potest, propter jus dominii  
quod salvum & integrum manet §. ult. j. d. Oblig. qu. ex del. nasc.  
In personā Emptoris est, ut Venditorem suum indicare teneatur l. 5.  
C. b. t. Deniq; ad occultatorem hic furti effectus pertingit is siqui-  
dem



dega in delicti consortium transit & furti tenetur l. 12. in fin. C. l.  
qui vas 48. §. 1. π. eod. c. 4. §§ b. t. De Furto quatenus ut deli-  
ctum publicum consideratur hodieq; laqueo punitur. D. V. in Disp.  
ult. dicendum erit.

VI. Rapina est furtum improbius vi vel coactis hominibus  
commissum, quis enim magis alienam rem inyito Domino contres-  
tat quam qui eam rapit pr. j. d. Vi Bon. rapt. Agitur ex eâ civi-  
liter actione furti tam manifesti quam non manifesti. Nec obstat  
furtum & Rapinam esse distincta delicta, ideoq; etiam poenas esse  
distingvendas, furtum enim sine violentiâ & plerunq; clam perpe-  
tratur l. in duobus 28. §. Si quis juraverit d. jurej. l. ult. C. Quib.  
ad lib. prov. non lic. rapina palam committitur l. 2. §. 24. d. Vi Bon.  
rapt. Distinctis his delictis distinctæ proponuntur poenæ,  
Furti merè pænalis, Rapinæ verò mixta est. E. qui per  
vim furatur, non incidit in pænam furti manifesti, qnemadmo-  
dum nec ille, qui per vim alienas arbores cædit, Actione arborum  
furtim cæsarum tenetur l. facienda 8. §. 1. & ult. Arb. furt. cæf. Ra-  
tio decidendi enim hæc prævalet: qui per vim manifestam alicui  
rem suam aufert, non potest non dici furtum commississe, cùm res  
Domino auferat l. 14. §. 12. Qu. met. ca. idèò etiam isti poenæ ob-  
noxius est, tum quia indistinctè raptor furti teneridicitur pr. j. d. Vi  
Bon. rapt. l. 2. §. pen. π. eod. tum quia fur manifestus expressè di-  
citur l. 80. §. 3. d. Furt. Agitur quoq; Actione Vi Bonorum rapto-  
rum intra annum in quadruplum post annum in simplum pr. j. d. t.  
l. 2. §. 13. π. eod. Ludw. Disp. 15. θ. 4.

VII. Damnum est deminutio quædam patrimonii dolo aut  
culpa adversarii Nobis facta, ab ademptione patrimonii dictum l. 3.  
D. d. damn. inf. Ea deminutio vel in rebus animatis vel inanimatis  
fit, in animatis cùm Servus noster vel animal occiditur, imprimis si  
id occidatur, quod pecudum numero est. Item si liberi nostri occi-  
dantur aut vulnerentur, aut si nobismet ipsis vulnera infligantur, si-  
quidem respectu operarum, quibus quis caruit aut cariturus est, item  
propter impendia in curationem facta patrimonium rectè deminu-  
tum dicemus l. 5. in fin. l. 7. pr. l. 13. pr. l. 27. §. rupisse D. Ad L.  
Aquit, in rebus animâ carentibus damnum datur, cùm quis ussit, fre-  
git, rupit, effudit, aut quoquo modo corrupti: corrupti enim ap-  
pellatio generalis est, & ad hæc omnia perinet, ut Ulpianus testa-  
tur

tur in l. Si Servus 27. §. Et non negat D. Ad L. Aquil. Nec solum  
in rebus mobilibus, sed & immobilibus, ut si arbustum meum vel  
villam incenderis, si ædificium refregeris aut dirueris, si aquæductum  
corruperis &c. l. 27. §. item si arbustum & §. Si quis ædificii D. eod.  
si arbores aut sylvam cæduam immaturè cæcideris d. l. 27. §. idem  
& in sylva & l. si merces 25. §. ipse quoq; D. Locat. Si in segetem  
meam lolium aut avenam conjeceris d. l. 27. §. & ideo Celsus & §.  
item si quis frumento. Porro ut damnum vindicetur, injuria debet  
esse factum, i. e. vel dolo vel culpa, patet enim tam latè injuriæ  
verbum, ut & qui culpâ levissimâ damnum dedit injuria dedisse  
dicatur l. in Lege. 44. D. Ad L. Aqu. Ant. Matth ad π. L. 47. T. 3.  
§. 1. 2. 3. Vocabulum culpæ vel in genere accipitur, & dolum quoque  
comprehendit non tantum in sensu vulgari Horat. I. Ep. I. v. 60.

Hic murus aheneus esto

Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Apud bonos authores culpa denotat omne quod est reprehensibile  
vel illicitū. Ideo Cicero dicit L. 5. fam. epist. 21. præter culpam & pcc-  
atum homini accidere n̄ posse, quod sit horribile aut pertimescendum.  
Sed etiam legali sic in l. 9. §. 3. d minor. dicitur cessare restitutio  
minoris adversus poenam divortii si divortium culpa i. e. dolo fiat.  
In l. 91. §. 3. d. V. O. dicit JCtus quoties culpa generaliter scil. acce-  
pta ita ut & dolum comprehendat intervenit, Debitoris perpetuari  
obligationem. Ideo Bartolus ad L. 32. D. Dep. ait latissimam cul-  
pam verum esse dolum, quia magna culpa dolus est l. 226. d. V. S.  
latiorem verò culpam putat esse dolum præsumptum qui non præ-  
sumitur, si quis tantam adhibeat rebus suis diligentiam quantam  
suis, si tamen minorem adhibeat in fraude est præsumpta L. 32. π.  
Depos. tum & is qui in suis infra communem diligentiam versatur  
coercendus sit, nam si maritus sævus in Servos dotales fuit, immo-  
derata ejus sævitia etsi est in suos natura talis, coercenda est, quam-  
vis enim uxoream diligentiam demum à marito exigat, quam re-  
bus suis exhibet, nec plus possit, attamen sævitia, quæ in propriis  
culpanda, in alienis coercenda l. 24. §. 5. π. Sol. matr. Sed hæc  
culpæ acceptio refertur ad culpam in specie acceptam, quæ est neglig-  
entia destinata animi malitiæ carens, quā quis negligit atq; igno-  
rat ea quæ scire ac observare debuisset ac potuisset l. 72. π. pro Soc.  
l. 5. d. R. C. l. 72. §. 3. Hæc culpa in certos distinguitur gradus,

B

gra-



gradus dicitur à similitudine scalarum locorumve proclivium: quos ita ingredimur, ut à proximo in proximum i. e. in eum, qui quasi ex eo nascitur, transeamus l. 10. §. 10. d. Gradib. sic ex prætermis-  
fione diligentiae minimæ oritur culpa levissima, ex prætermis-  
fione diligentiae mediocris culpa levis & ex prætermis-  
fione diligentiae omnium hominum oritur lata. Hætres culpæ tres gradus constitu-  
unt sumnum scil. medium & infimum. Summus est lata culpa,  
quæ est nimia negligentia i. e. non intelligere quod omnes intelli-  
gunt l. 213. §. 2. π. d. V. S. l. 223. pr. eod. Medius est levis cum  
quis eam curam & diligentiam non adhibet, quam communiter pa-  
tresf. in rebus suis adhibere solent l. si putator 31. Ad L. Aqu. l. he-  
redes 25. §. 16. F.E. Levissima cùm quis eam diligentiam admittit,  
quam non nisi diligentissimus paterf. suis rebus adhibuisset l. 5. §. 4.  
π. Commod. Unde excluditur damnum casu fortuito datum §. 3. 5  
seq. Ad L. Aqu. l. 49. §. 1. l. 30. §. pen. 5 l. 31. π. eod. item quod  
quis dedit jure permittente, ut si quis corporis sui tuendi, non ulci-  
scendi causa aliquem vulneravit aut occidit §. 2. d. t. l. 45. §. 4. π.  
eod. item si Magistratus non excedens fines sui officii juris exequen-  
di causa aliquem damno affecit l. 29. §. 7. π. eod. Actio l. Aqui-  
liæ datur ex primo capite quanti res eo anno fuit plurimi l. 2. pr.  
π. eod. ex tertio verò capite quanti in diebus 30. proximis l. 27. §.  
5. π. eod. Estque vel directa in eum qui corpore suo, vel inutilis  
in eum, qui non corpore suo, sed indirectè damnum dedit. Quod  
si à non corpore in non corpus sit datum Actio in factum subsidi-  
aria locum habet §. f. j. d. t. l. 9. §. 2. π. eod. l. 14. §. 1. l. 11. d.  
præscript. verbi Sutholt. Disc. 16. 6. 47. 48. 49.

VIII. Repressalium derivatio petenda est à *Supino* repressum,  
ut à *supino* Sponsum Sponsalia, nec accersenda ex Italico *preso*,  
aut Gallico verbo *reprendre* & *reprise*. Quippe Repressalium sub-  
sidio judicis justitiæ sacra violentis violentiam reprimimus, res vel  
personas illa de terrâ, ubi judicii incorrupti asylū fuerit nobis occlu-  
sum detinendo donec nobis satisfiat. Ideoqve Repressalia Retentio-  
ni sunt affinia Alth. in Dicæolog. lib. 2. c. 17. n. 25. & ad exemplum  
*Clarigationis* cuius usum Livius lib. 8. describit, quod Viliterni  
trans Tiberim habitare jussi sint, ut ejus qui cis Tiberim deprehen-  
sus esset, usqve ad mille pondo clarigatio esset. Alii putant esse  
*Clarigationem*, cùm feciales res raptas *clarâ* repeterent voce Plin.  
lib.



lib. 22. c. 2. Item diffidatio græcè αἰδεγληψία H. Grot. d. J. B. &  
P. Lib. 3. c. 2. n. 3. quæ cum Repressalibus convenit, quod æquè in  
illis, quām in his personarum innocentium prehensio fiebat, & in  
casu requisitæ justitiæ pro delicto tantum aliorum concedebantur.  
Arum. d. Jur. publ. Discurs. 8. Th. 1. vol. 2. Bodin. d. Rep. lib. 1. c.  
10. Usus Repressalium antiquissimus & æquissimus. Sicut enim  
bella J. N. ut pax retineatur sunt introducta, ita etiam Repressalia  
justam habent belli speciem & adversus eos, cum quibus bellum  
gerere possumus, institui queunt c. 23. q. 2-25. Neq; Jus Civile con-  
trariatur, de quo licet nobis ipsis jus dicere, ubi copia judicis habe-  
ri nequit l. 54. C. d. Decur. l. 10. §. Si quis Debitorem π. d. his qu.  
in fraud. Cred. l. 14. d. Jud. & Celic. l. 7. π. d. Incend. ruin. nau-  
fr. Permitti debent Repressalia ob læsionem magni momenti, sicut  
enim temerè in acie versari immane & beluarum simile est Cic. lib.  
1. Offic. ita quoqve ob exiguum aliquod Reip. tranquillitas turbari  
nequit, quia Repressalia sunt maximè Extraordinarium remedium  
quod jura in modicis non curant arg. l. suo π. d. Restit. in integr.  
l. 9. §. fin. π. d. dol. Materia sunt alterius Principis seu Magistra-  
tus justitiam denegantis Subditi eorumqve res. Nam adversus pro-  
prium Subditum extraordinario hoc medio utendum non est, cùm  
ordinaria eis pateant l. si cuius 13. §. Sed si inter π. d. Usufr. Nec  
est, ut ambigamus Repressalia non tenere illo loco oriundum, ubi  
justitia denegata est, jam verò Nobiscum degentem l. provinciales  
190. π. d. V. S. Nam Civis originarius redempto migrationis jure  
quod vulgo Absfahrt. Nachsteur/ Abschöß/ Abzug. Geld/ Weglosung di-  
citur Civitati renuntians larem alio transferendo civis esse desinit  
Gail. 2. o. 36. Dantur Repressalia solis subditis, qui non tantum  
Remp. incolunt, sed & patriæ onera sustinent. Et quidem Subditis  
tempore factæ injuriæ & adhuc sedes fixas tenentibus. Aliàs si pro-  
miscuè unicuique Subdito horum fieret copia, nullus non apud ex-  
teros damnum perpessus potentioris Principis ditionem adiret, jure  
Civitatis acquisito Tribunal sollicitaret, & tandem impetratis impe-  
trandi ad patrios rediret lares. Tempore Nundinarum eorum  
nullus est usus, quia tunc nemo capi aut detineri potest l. un. & ib.  
Bart. Bal. Salicet. C. d. Nund. ne eorum periculo mercatores, qui  
ob communem utilitatem exteris & transmarinas non sine summo  
discrimine petunt provincias detenti commercia negligentius ex-

ercent, non sine Reip. damno. Cessat hoc Privilegium in eo qui de fugâ suspectus est l. 10. §. Si debitorem 16. π. Quæ in fraud. Cred. aut alio quodam criminis inquinatus: Privilegia enim ad Sceleratos non sunt extendenda l. 2. C. d. Privil. Schol. N. 17. c. 5. in pr. ne sub prætextu Privilegii flagitorum crescat authoritas, vel publica vacillet authoritas d. l. 2. Conceduntur à solo Principe Petr. Greg. Tholos. in Syntagm. Jur. lln. Lib. 47, n. 20. Læsus enim sive Actor tempore licto, judicem Rei adeat ejusque opem imploret, & si judex Rei Justitiam expressè denegaverit, proprium accedat Magistratum ejusque opem ac patrocinium implorans petat, ut suā & quidem publicā autoritate & gratiā ipsi literas concedat, ad illum judicem pro justitia administranda & facienda bonorum restituzione: si adhuc justitiam protelet & justitiam deneget, tunc literæ repressaliæ petuntur, quibus actori datur potestas à quibusvis illius externi Magistratus Subditis in sua dictione existentibus bona recuperare, arrestare, vendere, ut justitia constanter observatā conniventia Magistratum ad scelera & fraudes suorum malevolorum. Subditorum tollatur, & ejus Edictum suum cuique tribuendum jure verum & perpetuum maneat H. Grot. d. I. B. & P. L. 3. c. 2. n. 4. Alth. Diceolog. lib. 2. c. 17. n. 25. Carpz. p. 4. Const. 16. d. 4.

IX. Inuria & contumelia contra bonos mores alicui illata quam Græci ὑβρίν appellant pr. j. d. Injur. l. 1. D. eod. fit tribus modis vel re vel verbis vel literis. Re fit quoties alicui manus interuntur l. 1. §. 1. l. 15. §. 1. D. eod. vel re sua aut publicō jure uti prohibetur l. 13. §. Si quis me prohibet D. eod. l. 25. D. d. Act. Empt. pudicitia attentatur, ad invidiam alicujus vestis mutatur barba prominitur, gestu obscenō aut infami picturā alteri injuria infertur. l. 1. §. 1. l. 15. §. 1. & seqq. Ad injuriam quæ gestu fit spectat, si quis protenso digito medio, quem Græci κατάπυγον Latini impudicum & infamem vocarunt hominem denotet cinandum. Item si quis duabus digitis in modum cornuum formatis designet ad adulteria uxoris conniventem. Verbis committitur injuria, quoties alicui convitum fit, sive præsenti sive absenti, vel infamandi causa aliquid dicitur, modò evidens in verbo sit contumelia, si quis aliquem vervecem marinū vel Struthiocamelū depilatum vocet Senec. d. constant. Sap. c. 17. & generatim verbis injuria fit, si cui objiciatur quod in istâ

istâ Regionâ alicui probrosum, cum omnia non in omnibus locis  
sint ignominiosa. Sic Parlad. lib. i. rer. quotid. c. 17. n. 23: negat  
in Hispania injuriam ei infetri, qui dicitur lue venerea laborare,  
quia adeò longè lateq; serperit, ut ibi prô ignominia non habeatur.  
Locus & modus efficere possunt ut convicium sit. Si quis cædem,  
furtum, falsum, homicidium &c. objiciat quia natura probra sunt  
ideo Nemo dubitat injuriam fieri l. 15. §. convitum & §. Sive unus  
D. h. t. l. 3. D. d. Lib. & posthum. her. inst. Alio modô verbis inju-  
ria committitur et si neq; convicium neq; maledictum propriè sit,  
si quis turpibus utatur verbis erga puerum fœminamq; honestam,  
tametsi pudicitiam non attentet l. 15. §. qui turpibus 21. π. d. Injur.  
nam castæ aures impatientissimè sermonis spurcitem & vaniloquia  
ferunt, & maximè in præsentia imbellis sexus & puerilis ætatis ho-  
minibus vitanda, quibus summa debetur reverentia, nè quidquam  
dictu aut visu foedum in ædes penetret, intra quas puer aut virgo  
educatur. Literis injuria fit, cum ad alicujus infamiam liber editur  
vel carmen vel historia vel σπίγαμα seu inscriptio l. 5. §. Si quis  
librum D. d. t. l. un. C. d. Fam. Libell. item si quis libellum inventum  
vulgaverit non illico corruperit vel exusserit d. l. un. C. d. Fam. lib.  
Constant. M. quatuor constitutiones in C. Th. d. Fam. Lib. reperiuntur  
ex quibus constat quô odiô Constant. M. famosos libellos persecut⁹ sit.  
Prima est in l. 1. Si quando famosi libelli reperiantur, nullas exinde  
calumnias patientur it, quorum de factis vel nominibus aliquid  
continebunt, sed scriptoris author potius requiratur, & repertus  
cum omni vigore cogatur his de rebus quas proponendas credidit  
comprobare: nec tamen suppicio, etiamsi aliquid ostenderit, sub-  
trahatur. Secunda est in l. 2. Licet serventur in officio tuo & vi-  
carii, exemplaria libellorum, qui in Africa oblati sunt, tamen eos,  
quorum nomina contineat, metu absolutos securitate perfrui sinas &  
solumq; moneas, ut ab omni non solum crimen, sed etiam suspicione  
verisimili alieni esse festinent: Nam qui accusandi fiduciam gerit  
oportet comprobare, nec occultare, que scierit; quoniam prædicabiz-  
lis erit ad dicationem publicam merito perventurus. Tertia est in l. 3.  
Ult Accusatoribus patientia præbenda est, si quem persequi in judicio  
volunt, ita famosis libellis fides habenda non est, nec super his ad no-  
stram scientiam referendum est, cum eosdem libellos flammis proti-



nus conduceat aboleri, quorum author nullus existit. Quarta repetitur in l. 4. Famosa scriptio libellorum, que nomine accusatoris caret, minime examinanda est, sed penitus abolenda nam qui accusacionis promotione confidat libera potius intentione, quam captiosa atq; occulta conscriptione alterius vitam debebat in judicium vocare. Ab hac Constitutione differt quod Paulus in l. 18. in pr. π. d. Injur. scripsit: Eum qui nocentem infamavit, non esse bonum, æquum ob eam rem condemnari: *hac addita ratione*: peccata nocentium nota esse oportere & expediri. Nulla scil. contumelia quæ sit dignis. Is quippe qui famosum libellum scribit nomen suum non profitetur neq; ad veritatem probandam ultro prosilit; at qui convitum nocenti fecit, qui eum infamavit, liberam sibi intentionem, non captiosam & occultam fuisse ostendit ideo si veritatem dicti prober, nihil est cuius nomine eum plecti oporteat. Prædictæ Leges Codicis Theodos. in C. Justin. omisæ & tantum l. 7. § 9. in l. un. C. Just. d. Fam. Lib. rejectæ sunt. Famosus libellus alias dicitur Pasquillus à Pasquinò quodam Sartore Romano, maledicentia flagitio notissimo ad cuius Tabernam statuæ marmoriæ erectæ, ubi homines maledici chartas famosas noctu affigere solebant. Bocer. in Comm. l. un. C. d. Fam. lib. 1. n. 2. Marquard. Freher. in tr. d. Existim. l. 3. c. 9. n. 23. Trata injuriæ distinctio desumitur ex circumstantiis personarum loci Temporis & facti qualitate. Ratione personæ injuria æstimatur atrox cum Magistratui à Subdito, vel parenti à filio vel Patrono à Liberto vel Præceptorí à Discipulo, vel viro in dignitate constituto ab humili vel levioris conditionis persona, vel homine libero à Servo injuria infertur l. 7. §. 2. § 3. l. 15 §. 2. l. 17. §. 3. d. t. l. 16. §. 3. l. 28. §. 8. π. d. pæn. Ratione loci dupliciter atrox vel ratione corporis, ut si quis violetur in oculo aut facie l. 8. π. d. t. vel extra locum corporis ut si quis in loco publico theatro aut foro aut templo aut in judicis conspectu injuriam accepit §. 9. j. d. Inj. l. 9. §. 1. π. eod. l. 10. d. Episc. & Cler. Ratione temporis injuria aggravatur quando fit tempore festivitatis, nuptiarum convivii ludorum diebus festis l. 7. §. 8. d. t. l. 4. C. eod. l. 16. §. 5. π. d. pæn. Facto deniq; sive re ipsa atrocior injuria est, itidem vel in corpore, veluti si fiat simul cum effusione sanguinis, ita ut offensus egeat curatione §. 9. j. d. t. l. 7. §. fin. cum l. seq. π. eod. l. 10. §. 12. π. d. In jus voc. vel extra corpus ut si alicujus

vesti-



vestimentia scindantur l. 9. pr. π. d. t. Inferre possunt injuriam omnes dolii capaces & animum injuriandi habentes, qui ex quo cunqve factō vel delicto injuriosō injuriarum convenire possunt l. 3. §. 1. π. d. t. Inferri potest injuria iis qui inferre possunt non nunquam etiam iis qui nequeunt ut impuberibus, mente captis furiosis & dormientibus d. l. 3. §. 1. per corpus filii periclitatur pater §. fin. j. d. Nox. arg. l. 8. §. fin. π. Qu. met. c. Domino injuria fit, si quid atrocius in Servum commissum fuerit, & aperte contumeliam Dominorum respiciat §. 3. j. d. t. l. 15. §. 34. π. eod. per uxorem patitur maritus §. 2. j. l. 1. §. 3. π. eod. per nurum Socer d. l. 1. §. 3. per defunctum heres d. l. 1. §. 4. & l. 27. π. eod. Injuria illata propulsati vel privatum per retorsionem in continenti l. 3. pr. π. d. I. & l. 3. §. 9. l. 17. π. d. Vi & d. Vi arm. l. 14. §. 6. π. d. Bon. Libert. l. 25. π. d. Proc. vel judicialiter Actione vel civili vel criminali §. 10. j. d. Injur. l. 7. §. 6. π. & l. f. C. eod. si tamen civiliter agatur postea criminaliter agere non licet, & contra, si Actio criminalis instituatur non datur regressus ad actionem civilem l. 6. π. d. t. d. Injur. Famosi libelli poena ex L. XII. Tabb. capitalis erat teste Cicerone l. 4. d. Rep. Sed haec poena videtur esse mutata ab Augusto, qui censuit cognoscendum de iis qui libellos aut carmina ad cuiuspiam infamiam scripsissent Sveton. l. 2. c. 55. Insuper ex L. Cornelia & SCTo authores famosorum libellorum intestabiles reddebantur l. 5. §. 9. & seq. π. d. fam. lib. Tandem denuo capitalis poena facta est l. un. C. d. Fam. lib. l. 7. C. Theod. eod. Juri Civili Actio ad palinodiam incognita est quia moribus introducta & in Ordin. Cameræ p. 2. c. 28. §. und sonderlich sezen confirmata Fransk. Ex. 12. q. 8. & Jure etiam Prutenico Provinciali recepta est π. D. L. 6. T. 9. a. 2. §. 1. & a. 4. §. 1

X. Quasi delicta differunt à quasi Contractibus nam illi non habent cum veris delictis ita dolum communem, sicut his communis est conventio, licet tacita, cum veris Contractibus; Dolus siquidem est de essentia omnium delictorum, excepto tameneō quod vindicatur L. Aquilia in quo etiam citra dolum culpa sufficit: cum hoc itaque damno injuriā datō quasi delicta conferri possunt, nam & ipsa habent culpam sed eam ut plurimum non directam ad damnum, sed oblique tantum damno causam dantia: & ut maxime directo videantur damnum dare, attamen præsumpta est ea culpa

culpa & præter mentem ferè ejus qui damnum dat. *Bach. in Comm.*  
*j. ad pr. Tit. d. Oblig. qu. ex quas. del. nasc.* Prima Species quasi de-  
lictorum refertur ex l. 5. §. Si judex 4. d. Oblig. & Act. & ex l. ult.  
d. Extraord. Cogn. si judex male judicando litem suam fecerit,  
per imprudentiam enim sententiam ferens iniquam, videtur male-  
ficium verum committere, quia imperitia culpæ annumeratur, culpa  
autem est maleficium pertinens ad L. Aquilam, sed quia neq; cor-  
pore neq; in corpus culpa damnum datum est, & competit Actio  
in factum l. fin. D. d. var. & Extr. Cogn. imò quia se non ingerit  
sed cogitur judicare, quod judicandi munus est necessarium l. cum  
*Prætor. D. d. Judic.* ideo peccatum quidem est sed non maleficium  
*Altera species quasi maleficii est.* si quid ex ædibus alicujus vel pro-  
priis vel etiam conductis dejectum effusumvè, & ità damnum datum  
fuerit l. si quis 5. §. is quoq; 5. π. d. O. & A. l. i. in pr. d. his qu. eff.  
quod si è domo aliquid in publicam plateam ejectum fuerit, ex quò  
liber homo perierit tum fit condemnatio in 50. aureos l. i. §. 5. d.  
bis qu. dejee. Jure Pruten. ejector talis ad arbitrium Judicis prò qua-  
litate tenetur *P&R. L. 6. T. 10. a. 2. §. 2.* Tertia est Positio vel su-  
spensio ejus, qua vulgo iter fit l. i. π. d. his qu. effud. quod si ceci-  
derit nocere potest. Poena ejus est 10. aureorum §. item is j. d. T.  
*Quarta Damnum in navi cauponâ Stabulo datum §. fin. j. d. t. l.*  
*fin. §. i. Naut. Caup. Stab. l. un. §. 2. π. d. Furt. adv. naut.* Com-  
petit in his tribus ultimis speciebus pari modo sicut de prima di-  
ctum est *Actio in factum §. fin. j. d. t. d. Oblig. qu. ex qs. del. nasc.*  
etiam heredi d. §. fin. quæ interdum privata pr. & §. ult. j. d. t.  
interdum verò popularis l. 5. §. 5. & §. fin. π. d. his qu.  
dej. vel eff. Clar. Dr. Strauch, ad j  
Ex. 19. θ. ult.



Kc 3004

ULB Halle  
003 757 714

3



Bitte nach Ausleihe an  
Frau Richter 1  
Sammelbd. ? oder  
Ludwaffene Werte ?

10.02.12





# Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



N. J.  
ATIO XIX.  
TARUM  
SIUM  
TI & CON-  
VERSI

qv. ex del. nasc. & seq.  
qv. ex quas. del. nasc. inclu-  
n. C. Just. Theod.  
respondentibus.

nam  
ESIDE  
CHRISTO-

Oß /  
P. P. Secund.

D MINUT,

m. Prus.  
N D E N S

defendet

RIO MAJORI

c. LXXXI.

MONTI,  
USNERIANO.

19